



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Corpus Doctrinae Christianae

Melanchthon, Philipp

Lipsiae, 1572

VD16 M 2890

I. Argumentvm.

urn:nbn:de:hbz:466:1-36094

per filium, iuxta dictum: Vivo ego, dicit Dominus, nolo mortem peccatoris, sed ut conuertatur & viuat. Item: Gratia exuberat supra dictum. Cumq; erigimur fide, & accipimus remissionem peccatorum, filius Dei vere est efficax, & voce Euangelij dicit consolationem in cordibus, ac fide simul accipimus imputationem iustitiæ seu reconciliationem, & Spiritum sanctum, & efficiamur hæredes vitæ æternæ, gratis, propter Christum. Hæc omnia comprehendit dictum: Iustificati fide pacem habemus. Et Galat. 1. Vt promissionem Spiritus accipiamus per fidem. Et Rom. 5. Iustificati sanguine ipsius seruabimur per eum ab ira eius. Huc adiungantur alia testimonia, ac præcipue propositio epist. ad Rom. cap. 3. & confirmatio cap. 4.

CONTRA.

I. ARGUMENTVM.

Vbi multa simul sunt, non est ponenda exclusiua,
In conuersione multa simul sunt, vt, contritio, fides, dilectio, bonum propositum, spes, & aliæ virtutes,
Ergo non est dicendum, Sola fide iustificamur.

RESPONDEO ad minorem: Quanquam multæ virtutes simul sunt in conuersione, tamen non sunt causæ seu merita iustificationis, id est, remissionis peccatorum & reconciliationis & viuificationis, & donationis vitæ æternæ: Sed solus filij Dei obædientia, est causa seu meritum iustificationis. Hic est propitiator, ut ad Romanos 1. dicitur. Et Iohannis 1. Sanguis Iesu Christi purificat nos ab omni peccato.

II. ARGUMENTVM.

Impossibile est, vllam rem esse iustam sola noticia,
Fides est tantum noticia,
Ergo non est dicendum, sola fide.

RESPONDEO ad minorem: Fides non significat hic noticiam, qualis est in Diabolis, sed comprehendit noticiam omnium articulorum fidei, & fiduciam in voluntate acquiescente in Deo propter mediatorem, agnita misericordia in promissione. Quia fides de qua Paulus loquitur, est assensus, quo omni verbo Dei nobis tradito assentimur, ac simul etiam promissioni gratiæ, cum quo assensu inseparabiliter coniuncta est fiducia acquiescens in Deo, iuxta promissionem. Sed noticiam præcedere necesse est, quia noticiæ sunt apprehensiuæ. Et in hoc ipso assensu filius Dei est efficax, dicit voce Euangelij consolationem in corde tuo, ostendit voluntatem Patris, retrahit cor ex inferis, & viuificat te, & dat arrabonem Spiritum sanctum, qui accendit læticiam & inuocationem in corde, iuxta dicta: Accipitis Spiritum clamantem abba Pater. Item: Effundam super domum
25 Dauid